



Forum Beneficiale, Sive Quæstiones & Responsa Canonica

Materiam De Beneficiis Universam Ex Beneficialistarum tam antiquorum, quàm recentiorum placitis complectentia. Opus methodo novâ, & clarâ in tres digestum Partes ... accuratè, ac copiosè instructae

De Provisione Et Obtentione Beneficiorvm

Leuren, Peter

Coloniæ Agrippinæ, 1704

531. An omnis reservatio consurgens ex vacatione apud Sedem apostolicam, vel in Curia Romana clausa sit in corpore juris.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74485](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74485)

& ad regimen. temporaria sint, seu ad vitam Pontificis statutis: contenta in *Extrav. execrabilis*. non est nuda reservatio, sed privatio beneficii, & illius reservatio ob delictum. Quod dicitur ab iis de beneficiis devolutis ob negligentiam collatorum, hæc non tam jure reservationis, quam devolutionis conferuntur. Quod de beneficiis litigatorum *ex cap. 1. & 7. ut lite pendente*; hæc reservata non sunt, cum lite finita, Ordinarii ea providere possunt, & lite durante suspendatur eorum provisio. Quod de beneficiis exemptis & Papæ subiectis *ex c. mutationes. 7. q. 1. c. licet. & c. inter. de translatione Episcopi. &c.* hæc providentur, non jure reservationibus, sed jure ordinario Papæ, uti & ab eo providentur beneficia constituta in Urbe Romana, quæ quia ab aliis à Pontifice provideri nequeunt, non est opus reservatione, utpote quæ solum est ad excludendam aliorum provisionem; ita *Castrop. loc. cit.* per hoc autem, quod dicat, constitutio *c. licet.* & reservatio per eam inducta præ ceteris reservationibus referatur in *Extrav. ad regimen*, quæ *Extrav.* consuevit semper innovari per regulas Cancell. per hoc inquam, non fit, quod minus ea reservatio maneat clausa in corpore juris, retineatque suum robur, cum remedium extra ordinem superinductum remedio juris communis illud non solvat, sed magis corroboret. *Lott. l. 2. q. 27. n. 43.*

Questio 330. Ratione hujus reservationis, quid veniat nomine Curie Romanae & Sedis Apostolicæ, & quam beneficia dicantur vacare apud Sedem Apostolicam, vel in Curia Romana?

Respondeo de utroque revideri posse, quæ, ubi de collatione Ecclesiarum parochialium agebatur, dicta sunt aliàs *ex Lott. l. 2. q. 27.* Quibus addendum breviter, quod Sedes Apostolica seu Curia Romana (hæc enim quantum spectat ad præsentem materiam reservationum, idem sunt, & pro eodem sumuntur, ut dictum ibi & *Castrop. loc. cit. p. 16. n. 2. citans Gonz. gl. 5. §. 1. n. 1.*) censetur esse, ubi Pontifex sedet, & assistit gubernaturus Ecclesiam, ut *Castrop. vel melius, ubi Papa cum Cancellaria sua, aliisque tribunalibus, Officialibus & Consiliariis suis, quos ad regimen Ecclesiæ adhibet, subsistit, ita ut Curia Apostolica tunc propriè, & juxta communem modum loquendi censetur transferri, non quando Papa aliò recreationis, vel negotii alicujus causâ ad modicum recedit, sed ubi cum Papa transferuntur Cancellaria, tribunalia, ejusque Consiliarii Cardinales, ibique censetur remanere Curia, ubi illa manent, et si Papa moretur ad tempus alibi: quemadmodum Curia regia ibi est, ubi Rex est, non tantum cum suis aulicis, sed cum suis Consiliariis, qui ejus lateri assistunt, ut consulant ei in regni totius negotiis; eaque transferri tunc dicitur tantum, ubi Consilia & tribunalia regia transferuntur, et si Rex aliò vadat, *Garc. p. 5. c. 1. à n. 389. Pirh. ad tit. de præb. n. 334. & alii ex Covar. 99. præb. c. 4. n. 10.* quemadmodum etiam Abb. & Tiraq. apud *Garc. loc. cit.* Romam dicunt, ubi est Papa, & subintelligendo nimirum, ut *Garc. unâ cum Curia sua modo jam explicato.**

2. Proinde jam quò ad effectum reservationis beneficiorum, de quibus textus in *c. licet. & c. præsentis. de præbend. in 6.* ea solum intelligantur vacare apud Sedem Apostolicam, seu in Curia Romana,

quæ vacant ibi, ubi Pontifex explicato modo existit, vel etiam ubi existunt Cancellaria, tribunalia & ordinarii Papæ Consiliarii, Papæ alio digresso, vel in locis loco, ubi est Curia, vicinis inter duas dictas legales, quarum qualibet 20. leucas, seu milliaria italica, hoc est, mille passus complectitur, quamvis, ut dictum aliàs *ex Lott.* plures perperam velint ea dicenda vacare apud Sedem Apostolicam, quæ vacant in locis dictis per obitum possessoris; illa vacare in Curia, quæ vacant ibidem, etiam modo alio, puta, per privationem, resignationem, &c. Hinc

Questio 331. An omnis reservatio consurgens ex vacatione apud Sedem Apostolicam, vel in Curia Romana, clausa sit in corpore juris, hoc est, comprehensa in dicto c. licet. & c. præsentis?

Respondeo negativè; de sola enim vacatione in Curia, vel apud Sedem, quæ fit per obitum, loquuntur dicti textus; quorum proinde dispositio propter ejus singularitatem ad alios casus, nimirum ad beneficia alio modo vacantia in Curia non est extendenda. *Lott. cit. q. 27. à num. 28.* per quod tamen non negatur, beneficia vacantia apud Sedem alio modo, quam qui contingit per obitum, reservata esse (sic enim beneficium vacans per resignationem factam in manibus Papæ, verè vacat in Curia, ut *Jo. Andr. Anchar. &c. apud Lott. n. 33.* & est reservatum; non tamen est reservatum per reservationem clausam in corpore juris, sed per appositionem manus Papæ. Idem est, dum vacat per privationem factam in Curia; ibi enim vacat, ubi quis privatur beneficio, juxta regulam datam à Rota *decis. 35. de præb. in antiq. Lott. n. 30.* nam & illud reservatum est vi *Extrav. ad regimen. de præb. inter communes*; non autem reservatione clausa in corpore juris, cum nulla alia reservatio clausa sit in corpore juris, quam quæ inducta est per dictum *c. licet. 2. de præb. in 6.* in illo autem non continetur reservatio vacantium aliter, quam per obitum.

Questio 332. An igitur, dum Papæ non translata Curia alio abeunte recreationis, vel negotiationis alicujus causâ, beneficiatus aliquis moritur ibidem apud Pontificem, aut in vicinia ad duas diebus, beneficium illius sit reservatum, tanquam vacans apud Sedem Apostolicam, seu Curiam Romanam?

Respondeo: tamen spectando tantum dictos textus *c. licet. & c. præsentis.* non fit reservatum quæ tale; siquidem vi dictorum textuum dici non possit vacare apud Sedem aut in Curia, dum vacat in loco, ubi Papa solum existit transeunter absque Cancellaria sua &c. veruntamen positâ & receptâ Constitutione Pauli III. 36. & Clem. VIII. 74. negari non debet, beneficium, etiam tali loco vacans, ubi Papa existit transeunter, reputari vacans apud Sedem, & eodem modo, ac si Romæ vacaret, existente ibidem Papæ, reservatum esse; expressè namque in ordine ad reservationem dictorum beneficiorum declaravit Paul. III. in illa sua Constitutio. 36. dum Papa digreditur aliò, unam eandemque Curiam Romanam existere & ceteri in Urbe, & ubi Papa est, sive locum, ubi tunc degit Papa, unâ cum loco, in quo remanere Cancellaria, Audientia causarum & literarum Apostolicarum,

tri-